

ES THEOL.  
MUSEI






Dies muß 11



*Clarissimorum Theologorum VVitte-  
bergensium*

ÆGIDII HVNNII ET  
LEONHARDI HVTTERI  
TESTIMONIA

*QVOD OMNE PECCATVM ET-  
si non est pura tantum privatio, sed ratione ma-  
terialis sui sæpè etiam habitus corruptus, positiva  
qualitas &c. ut rectissimè docet apolog. August.  
Confess. tamen quoad formale suum non  
positivum quidquam sed priva-  
tionem dicat.*



ANNO M. DC. XIX.



ÆGIDIIVS HVNNIVS

disp. 6. Ex August. Confess habita An-  
no 94. th. 3. § seqq.



Deccatum actuale non simpliciter  
actionem, sed vitiosam actionem esse dici-  
mus. Diligenter enim inter *actum* ipsum &  
inter *ἀταξίαν* actus sive motus est distin-  
guendum. *Actus* seu *motus* ipse est à Deo,  
tanquam à prima & remota causa: juxta il-  
lud: in ipso sumus vivimus & movemur Act. 17. Nemo e-  
nim quisquam manum vel etiam digitum movere, vel  
quicquam agere potest, nisi Deo sustentante naturam a-  
gentem, & motum largiente. *Αταξία* verò, gratiã cujus a-  
ctio ex impuro corde promanat, & ad illicitum objectum  
tendit, non est à Deo, sed è depravata natura & impulsore  
Sathanæ. Haud aliter atq; in claudicatione duo concur-  
runt: nempe motus sive progressio: deinde deformitas  
in motu & ingressu. Motus ipse est ab anima: Deformitas  
autem, quæ motum sive progressionem illam inconcin-  
nam efficit, non ab anima est, sed à naturæ *defectu* quodam,  
aut corporis vitio. Porro hac, de qua dictum est, *ἀταξία*  
polluitur actio hominis, vt cum Dei lege pugnet, *indeq;*  
*peccati* actualis nominationem sortiatur.

LEONHARDVS HVTTERTVS

in Loc. Theolog. de causa peccati cap. 1.

pag. 233.

Quicquid Deus facit aut creat, illud est ex genere Entium,  
sive POSITIVVM aliquid. Atqui peccatum non est ex ge-  
nere



nere substantialium Entium : sic neque est res POSITIVA substantialis : sed est DEFECTVS sive PRIVATIO : vel vt in scholis loqui solemus, est NIHIL PRIVATIVVM. Vnde haud ineptè quidam ex Patribus scripsit : peccatum care- re tum sine proprio tum causa efficiente, & per consequens *Essentiâ*. Sine quidem, quatenus voluntas semper alio fer- tur, & malum nunquam expetit. Causâ verò efficiente, quia *deficientium effectuum* causa efficiens assignari nulla po- test. Ergo peccati tanquam *Defectus* causa efficiens in Deo non est quaerenda.

*Et paullo post.*

Ad malas actiones concurrat Deus, vt causa vniversalis, dans nimirum omnibus motum & vires agendi : secun- dum illud Act. 17. 28. in ipso sumus movemur & vivimus. Verùm primo hoc respectu Deus peccati causa minimè o- mnium constituitur : Nam extra controversiam apud eru- ditos quosvis est positum, quando Actio dicitur mala, id ex Actionis determinatione dependere : quatenus nimi- rum Actio, non vt Actio simpliciter, sed vt talis actio con- sideratur. Stante hac determinatione duo necessariò con- sequuntur. 1. Actionem aliquam non nisi modificate nominari. 2. Modificationem hanc, & consequenter peccatum, quatenus tale, non causæ vniversalis, quæ modi- ficationem hanc non admittit, sed causæ tantum particu- lari ascribi posse. Deus enim vt causa vniversalis id tan- tum præstat, vt possis agere : quod verò malè agis illud ex causa particulari, nempe perversa tua voluntate redundat. Doctores scholastici, & cum primis Thomistæ huc respe- xisse videntur, quando peccatum definiunt, quod sit *Ens*

A 2

C 178





*cum defectu*: quando item asserunt RATIONEM FORMALEM PECCATI consistere in PRIVATIONE rectitudinis, Deum verò concurrere ad Entitatem realem Actionis, non ad *privationem* rectitudinis: quando deniq; scribunt: Deum ideo non esse auctorem peccati, quia non est causa particularis, sed vniversalis, quatenus præbet influxum quendam indifferentem ad actum bonum & malum, qui influxus à voluntate creata determinetur ad peccatum, ac proinde voluntatem creatam esse causam peccati: causam verò primam non influere in peccatum, sed concurrere ad actum indifferentem circa bonitatem & malitiam: Itaque peccatum non habere influxum à Deo, *quatenus peccatum est*, sed quatenus *operatio* quædam est. Thomas in 1. secundæ, quæst. 80. art. 7. Quod vt rectius intelligatur, haud ineptè Alexander Posantius Scholasticorum sententiam his verbis explicare voluit: notandum quod constituta voluntate hominis in actu primo, illa se potest determinare ad hunc vel illum actum, & quidem quando determinatio se ad actum bonum determinat, tum dependenter habet se à determinatione divina: quia non potest se determinare ad bonum, nisi Deus hoc in illa efficiat: quando verò se ad malum determinat, tum non habet se dependenter à Deo: sed ab ipsa voluntate, quæ ex se & sua natura ad malum prona est. Est ergo discrimen inter actum bonum & malum; quia actus bonus est actus perfectus, & includit aliquid POSITIVUM: actus verò malus est actus *imperfectus*. Ideo ad totum actum bonum necessarius est concursus Dei; ad *actum* verò malum necessarius quidem est concursus Dei, quatenus est *actus realis* non quatenus includit *imperfectiorem* quia ad illam imperfectiorem se determinat voluntas creata: & quia est *imperfectio* & *defectus* non requirit ad hoc concursum Dei.

119



*Atq; iterum in antithesi*

*pag. 239.*

Voluntas humana peccatum non facit quatenus à Deo facta est: sed **QUATENUS AB ORDINE DEI DEFICIT ET DECLINAT.** Et supra, vbi de causa vniuersali egimus ex professo, satis abunde demonstravimus: peccatum quatenus est *deformitas* pugnans cum lege Dei, sive *ἀμάρτια*, non posse tribui Deo, tum quia **DEFECTVS** est in sola causa secunda: tum quia **DEFORMITAS** illa, non est ipsa **ACTIO** quatenus **ACTIO**, *sed est actionis consequens & adherens vitium*, quod habet à causa secunda, sive particulari. D. Augustinus rem simili à claudicante petito haud incommodè illustrat: in claudicante, inquit, duo sunt: 1. Motus: 2. ipsa claudicatio, seu vitium & defectus in incessu. Iam motus ipse est à potentia animæ locomotivæ: vitium verò claudicationis ad eundem referri nequit, quia non à motu per se, sed à motu vitioso, id est, à fracto crure, vel luxata tibia dependet.

NB.

*Idem art. 9. de peccato orig.*

*pag. 308.*

Definitionem Philippéam paullo ante productam vellent nonnulli his moti rationibus:

NB. NB.

I. *Defectus sive privatio est absentia formæ &c.*

NB.

II. *Inclinationes, motus & actiones sunt aliquid POSITIVVM: Peccatum est inclinatio motus & actio. Ergo peccatum est aliquid POSITIVVM: Et per consequens non debet ita vniuersaliter definiri per privationem & defectum: id quod scriptura etiam innuit, quando per vocabula POSITIVA peccatum definit, qualia sunt verus homo, cor lapideum caro &c. Vnde Tho-*

A 3

mas



NB. NB. *mas etiam statuit peccatum non esse puram privationem sed habitum quendam corruptum.*

NB. NB. III. *Quicquid atrocitatem peccati extenuat doceri non debet. Privatio extenuat atrocitatem peccati E. Sed rationum istarum impetus facile averti & everti potest. Prima enim laborat sophismate vitiosæ & imperfectæ definitionis. Privatio enim non tantum definitur per absentiam Formæ, quæ potest adesse, sed & quæ debebat adesse, imo cui etiam competebat adesse, licet nunc ex interventu tristissimi accidentis, adesse non possit. &c. Vide ipsum Hutte-*

*rum. Ratio secunda laborat initio sophismate compositionis & divisionis. Nam inclinatio & actio non ponuntur solitariè sive nudè, sed cum adjecto complexu pugnantiæ adversus legem Dei. Deinde verò sophismate accidentis: confunditur enim SUBIECTVM PRIVATIONIS cum PRIVATIONE ipsa. Nam quod in minore dicitur peccatum esse inclinationem motum & actionem, non simpliciter hæ res*

NB. *POSITIVÆ intelliguntur: sed simul involvitur & notatur ἀνομία sive ἀταξία quæ rebus istis POSITIVIS, tanquam subjectis inest, & proinde in minore addi debebat, quod peccatum sit inclinatio, motus & actio contra legem Dei: quibus adjectis, vltro cuius patet, discrimen esse inter SUBIECTVM & inter DEPRAVATIONEM, quæ subjecto per accidens inhæret. Quo eodem sensu scripturæ etiam vocabula sunt accipienda. Nam Epitheta substantivis nominibus addita arguunt, non notari ipsas substantias naturarum à Deo conditarum: sed aliquid in substantijs, nempe vitium & depravationem quam cum natura rerum confundere, justa ratio non patitur. Quod ad auctoritatem Thomæ, illâ sanè nos minimè tenemur, si vel maximè contra nos faceret: sed verba ipsius pro nostra magis militanti sententia, quæ sic sonant 1. 2. art. 82. Sicut ægritudo corporalis*

NB. *habet*



habet aliquid de privatione, in quantum tollitur æqualitas sanitatis; & aliquid habet positivi scilicet ipsos humores inordinatè dispositos: ita etiam peccatum habet privationem originalis justiciæ, & cum hoc inordinatam dispositionem patium animæ. Vnde non est privatio pura sed est habitus quidam corruptus. Hactenus Thomas. Iam verò *habitus corruptus* non simpliciter notat rem POSITIVAM: sed significat accidens in re positiva. Tertia & postrema ratio *ex falsa constat hypothesis*, quæ in minore pro certa & indubitata sumitur. Vnde principij petitio emergit. *Neq; enim PRIVATIONIS voce extenuatur* sed exaggeratur potius peccati atrocitas: & ostenditur quantam cladem, & quam igens damnum genus humanum ex PRIVATIONE hac acceperit. Graves autem sunt causæ propter quas PRIVATIONIS vocabulum in definitione peccati est retinendum: nempe vt conspiciatur discrimen inter res conditas, & rerum PRIVATIONEM non conditam, sed à Diabolo ortum trahentem.

NB.

NB. NB.

*Idem eod. art. ubi de Flacianismo  
agit pag. 319.*

Quia id quod pugnat cum lege Dei actionem vitiosam præsupponit, utique PRIVATIO ipsa conformitatis ad legem erit PECCATUM FORMALITER, ACTIO verò non conformis legi PECCATUM erit MATERIALITER: substantia autem, quæ est actionis principium, neque peccatum formaliter neq; materialiter, sed peccans, vel peccatrix nominari debet.


Hæc





Hæc Hutterus in Loc. Theolog. quos hoc an-  
NB. NB. no mense Februario ipsa facultas Theologi-  
ca academia V Vittebergensis edidit  
& senatui Argentoratensi ac  
Vlmensi dedica-  
vit.

F I N I S.





99 A 6948

ULB Halle

3

002 840 022



Ruhr

Vb 17






DISPUTATION  
D. ECCLESIAE








*Clarissimorum Theologorum VVitte-  
bergensium*

ÆGIDII HVNNII ET  
LEONHARDI HVTTERI  
TESTIMONIA

*QVOD OMNE PECCATVM ET-  
si non est pura tantum privatio, sed ratione ma-  
terialis sui sepe etiam habitus corruptus, positiva  
qualitas &c. ut rectissime docet apolog. August.  
Confess. tamen quoad formale suum non  
positivum quidquam sed priva-  
tionem dicat.*



ANNO M. DC. XIX.

